


# TVRONVM.

Vulgo Tours.



**T**urones inter ceteros Galliarum populos sunt antiquissimi & præcipui, inter Celtas haud potestremi, quorum Metropolis ad suburbij partem Ligeri alluitur, qui fluuius ex transuerso riuum canali prope S. Annam ad suburbia Richij transmittit, earumque partem orientalem occupat, à meridie & occidente fluuius Idra cursum suum dirigit. Latitudo huius regionis non adeo magna est, propter vicinas & finitimas prouincias, quibus angustè circumdatur. Ad occasum habet Andegauum, à qua territorio suo & limitibus Belnæ separatur, & partem aliquam Pictauiensem Crëusa flumine diuisam, ibi enim Chinam ciuitas sita est quæ Turonenses forù sortitur. Ad meridiem sita est in finibus Pictauij, iuxta Crëusam flumen, quæ Piles portus Garumnam à Turonensibus separat. Ex eodè latere Prouincia dicta Berriuer cohæret, finibusque Castellonij ad Indram notatur. In Oriente ad Ligerim territoriù Bloisinsense & partem aliquam Biturigum tangit; ibique Charum flumen limites constituit. Hinc igitur patet, quomodo Turonenses alijs Prouincijs inclusi & coarctati sunt, qui etiam versus septentrionem Menenses & Vendonicenses attingunt, à quibus flumine Ligeri seiunguntur. Urbem Turonum antiquissimam ædificauerunt Galli, vnde etiam propter antiquitatem, præ alijs Galliarum ciuitatibus excellit, adeo vt caput multarum nationum dici meruerit; etiam à Cæsare, alijsque qui Galliam describere, pro præcipuis primisque Gallis semper Turones habiti sunt. Prologomæus li. 2. cap. 8. tab. 3. Europe, eos Turegios nominat, ripam Ligeris incolentes; Cæsar plurimis in locis illorum facit mentionem, præsertim in fine secundi libri Commentariorum, cuius hæc verba sunt; His rebus gestis, omni Gallia pacata, tanta huius belli ad Barbaros opinio perlata est, vt ab nationibus, quæ trans Rhenum incolerent, mitterentur legati ad Cæsarem, quæ, se obsides daturas, imperata facturas, pollicerentur. quas legationes Cæsar, quod in Italiam Illyricumque properabat, in ita proxima æstate, ad se reuerti iussit. Ipse, in Carnutes, Andes, Turones, quæ ciuitates propinquæ his locis erant, vbi bellum gesserat, legionibus in hiberna deductis, in Italiam profectus est. Vnde colligi potest, Turonenses non fuisse hostes Romanorum, sed Cæsaris partes tenuisse, optimamque hoc antiquæ illorum magnificentie indicium esse. Ex historia etiam Gregorij Turonensis liquet, ciues Turonenses plurimis in locis Senatores Romanos nuncupari, eodè quod iure Ciuium Romanorum vti sint, cuius iuris olim amici & confederati Romanorum facti participes. Sed posteaquam Imperiù Romanorum à Gothis, Vandalis, Alanis Burgundis, Hunis & Francis deuastaretur, Turonum ciuitas, vt & alia, libertate frustrata est, duraque obsidione à Gallis pressa fuit: qui tamen comoti monumeto D. Martini, cuius ossa ibi condita sunt, ab incepto destititè, quin immo tanti postmodum hanc urbem habere, vt in sanctis reliquijs huius sacratissimi Episcopi, omnium negociorum suorum ac conatum fortunam posuerint. Et hac ratione Vrbs Turonum Coronæ Franciæ inserta fuit, donec post factam Danorum & Normandorum irruptionem in Galliam à Ludouico tertio in Ingelgerum, Comitem Andegauensem, transferreretur, quo hostiles barbarorum impetus copijs suis repelleret, & oram Ligeris propugnaret. Illud quoque memoria dignum est, quod olim in territorio, & ferè in ipsis portis & sub mœnibus Turonum, inuictissimus ille Gallorum Princeps Carolus Martellus, circa annum Christi 729. prelio superari necique dederit Regem, vna cum quadringentis millibus militum, qui cum in numero exercitu, subiugata prius Hispania, Galliam inuaserat. Turonenses etiam hac in parte æternum nomen meruerunt, qui non solum Sarracenis illis acriter resistere, sed & Christianis, cum prælium anceps esset, aditum in urbem precluserunt, quo salutem non in fuga, sed fortiter dimicando quarerent. Municipia, quæ ducatus & Iurisdictioni Turonensium subiecta sunt, hæc numerantur; CHINONVM, cuius territorium fertile & amœnum Franciæ Regibus olim in delicijs fuit. LODVNVM, quod Pictauiensi ditioni quidam ascribunt, sedes Tribunalis Regij nunc est. AMSOISE, in ripa Ligeris fluuij, tam amœno loco situm, vt vix in Francia simile oppidum reperiatur, quæ de causa etiam Reges ibi sepe degunt. LOCHES oppidum firmè munitum, MONTRICHARD, in planitie situm, quod rupes & siluæ cingunt, extra oppidum domus subterraneæ sunt, & super eas horti vinetaque. PAVLMIVM ARX, Vicecomitatus titulo præstat, sita est edito loco, aëreque in primis salubri, retro ipsum est pulchrum spatiosumque viuarium, quod muro cingitur, duoque ferè miliaria continet. Denique vt concludam, Turonum est ex opulentissimis Franciæ ciuitatibus, quæ diuitias ex fertili territorio consequitur, eiusque diligenti cura, & quod incolæ probè rem familiarem curent, additi mercaturæ sunt, nauantque operam paradè bysso, quam ibi tam probè, subtiliterque parari, quàm in Italia dicitur. Aër ibi suaue spirat, serenusque est, vnde ob voluptatem, amœnitatemque qua præstat, Hortulus Franciæ, Regumque delicia, communi prouerbio appellatur. Arborum fructus ex animi sententia proueniunt, iisque nullis alijs Europe cedunt; Lutetiam Parisiorum vsque comportantur, ibique præ ceteris sunt in pretio. Vini frumentique feracissima est, nec nemora ei desunt venationi commoda, neque ad ædificia construenda quæcumque, neque ad ignes instruendos ligna, aquæ ad primè sanæ sunt, Populus sincerus est, non difficilis vel morosus, & suo Regi obsequens & fidelis.

## Angiers. Andegauum.

**A**ndegauum Galliarum populi, olim rerum omnium affluentibus copijs ditati, vtpurimum claruere, quorum Prouincia vulgo Anidum nuncupatur, Galliarum Celticæ limitrophia, ac quanquam latè non protendatur, attamen breues suos limites fertili, eorum, quæ ad victum pertinent, copia, compensat; Albatidem vina, quæ pro nobilissimis totius Galliarum celebrantur, profert. Propter collium & tumulosum frequentiam montosa & inæqualis est, Planitiem syluæ, præceris arboribus consista, pascuæ & præta admodum fruticantia, illustrant. Amnes ac torrentes adeo crebri in ea sunt, vt hoc nomine plurimi putarint Gallico Aquitanorum idiomate Aiguam fuisse dictam, eodè quod ibidem quadraginta recensentur flumina, non connumeratis fontibus, piscinis, stagnis, & alijs riuulis, quorum non exiguus est numerus. Vrbs Andegauensis, vulgo Angiers dicta, sita est ad Meduanam fluuium vna pars hoc flumine diuisa meridie & orientem spectat, altera occidentem prospicit, Britanniam versus. Initio quidem, priusquam Iohannes sans terre cognominatus, ex familia Andegauensi (qui Rex Angliæ postmodum fuit, Regnum adeptus, solum versus Orientem

vrbs